



*Quod bene sit!*  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
NUPTIIS,  
QUAM

529  
40  
1626, 14

FRETUS PRÆSIDIO

*Magnifici Argentiniensis Academiae Rectoris,  
Viri Clariss. Ampliss. & Consultiss.*

GEORGII DAVIDIS LOCAMERI, J.U.D.  
PANDECTARUM PROFESSORIS ORDINARIJ,  
Præceptoris & Patroni sui omni observan-  
tiâ colendi,

*Ad diem 29. Martii.*

*Publice censura exponit,*

GREGORIUS BICCIUS  
BUDISSINUS.



ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXVI





MAGNIFICOS,  
NOBILISSIMOS,

ET PRUDENTISSIMOS

DOMINOS

CONSULES

PRÆTOREM

&

SENATORES

Metropolitanae urbis Budissinae in Lusatiâ superiore,  
Patriæ Patres, Dominos & Promotores  
suos observandos,

Vt &

*Viros Eximios*

*Reverendum atq; Clarissimum*

JOHANNEM Schmidt/SS. Theologiae D. & P. P.  
Argentinensem,

&

*Honoratiss. atq; Integerrimum*

CASPARUM PEUCERUM, Civem Budissinensem,  
Fautores & Sympatriotas suos  
colendos,

Hujus disputationis Patronos, & Deos quasi  
tutelares submissè & officiosè  
scribens, se suosq; iisdem  
commendat

Autor & Respond.

MAGNUM DEUM ET SALVATOREM NO-  
strum JESUM CHRISTUM, ejusque auxilium semper  
invocamus! N. 85. in *praf. princ.*

THESIS I.

**M**ne jus, quo utimur, vel ad personas per-  
tinet, vel ad res, vel ad actiones. *L. 1. ff. de stat.*  
*hom. §. ult. l. de l. N. G. & C.*

2. Cum autem omne jus hominum causâ  
constitutum sit, meritò personarum prima habe-  
tur ratio, *arg. l. 2. ff. de statu hom.* Parum enim est  
jus nosse, si personæ, quarum causâ constitutum est, ignorentur. §.  
*ult. l. de l. N. G. & C.*

3. Summa igitur de jure civili personarum divisio est, quod  
aliæ sint alieni juris, & in potestate Dominorum vel Parentum;  
aliæ verò sui juris. *pr. l. de his qui sui vel al. jur.* In potestate Domini-  
orum sunt servi; In potestate Parentum, liberi; vel ex justis nuptiis  
procreati, vel certis modis legitimated, vel denique adoptati. *l. 3. &*  
*5. ff. de his qui sui vel alie. t. t. l. de Nupt. & Adopt.*

4. Quia ergo Nuptiæ & primum & præcipuum inter mo-  
dos constituendæ patriæ potestatis locum obtinent, & monente  
Icto Paulo *in l. legavi 25. pr. ff. de liber. legatâ*, quotidiana plenius  
attingenda sunt; perspicuâ brevitate in præsentiarum de illis agere  
decrevi, juris civilis ductum in primis sequens, ita tamen ut nec  
Canones, nec Dd. opiniones, & præjudicia consistorialia planè ne-  
gligam, quamquam parcius horum à me mentio fiet.

5. Erit verò illa, de quâ dixi, tractatio duplex: GENERALIS  
una, SPECIALIS altera.

6. GENERALIS continet Nuptiarum tum DEFINITIONEM,  
tum DIVISIONEM.

7. DEFINITIO est NOMINIS & REI.

8. NOMINIS, Nuptiæ à nuptu, id est velamento & oper-  
atione

tione dictas esse, auctor est *Varro lib. 1. de ling.* cui *Ambrosius* ascriptur, docens exemplo *Rebecca* ad conspectum sponsi *Isaac* se velantis, hunc obnubendi ritum fuisse antiquissimum. *Gen. 24. §. 65. Cas. nec illud. 30. caus. quest. 5.* Apud Romanos etiam uxor obvoluta seu obnupta velamine lutei coloris, quod flammeum appellarent, in domum mariti ducebatur. *Suet. in Nero. c. 28. Plin. l. 21. c. 6. & 8. Tertull. in lib. de Virg. velandis.*

9. Apparet ex his, Nuptias nomen civile esse, potiusque solennitatem conjugii, quam ipsum conjugium denotare: hinc non raro Nuptiæ & Matrimonium, ut diversa, à se invicem quodammodo separantur. §. 1. *ibi. Nuptia sive matrimonium. l. de patr. pot. §. 12. ibi. nec Nuptia nec matrimonium. l. de Nupt. l. 11. ibi. matrimonium vel nuptias. ff. de Rit. Nupt. C. I. A. l. 23. t. 2. §. 25. n. 6.* Quamquam hodiè Nuptiæ, Conjugia, & Matrimonia promiscuè dicantur, *Wes. in par. ff. de Rit. Nupt. n. 1.*

10. Accipitur autem Nuptiarum verbum tripliciter: (1) pro festivitate & celebritate Nuptiarum. *l. 49. pr. ff. sol. matrim. l. 1. pr. ff. de pact. dotal.* (2) pro quâlicunq; conjunctione corporum, per translationem, obscœnitatis vitandæ causâ, cujus significationis exempla ex optimis quibusq; auctoribus diligenter congestit *Cujac. in par. C. de Nupt. & A. Gentil. de Nupt. l. 2. c. 3.* (3) pro legitimâ cum corporum tum animorum conjunctione: quæ significatio maximè essentiam rei exprimit, huiusque loci propria est.

11. **R. E. I.** Imp. Justinianus in §. 1. *l. de patr. pot.* easdem ita definit: Nuptiæ sive Matrimonium est viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. *Modestinus* paulò aliter in *l. 1. ff. de R. N.* Nuptiæ sunt conjunctio maris & fœminæ, consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio. *Wes. in parat. ff. eod. t. n. 1.* & Scholis Christianis hanc affert: Conjugium est legitima & indissolubilis copula, unius maris & unius fœminæ, instituta divinitus, ut agnoscamus Deum esse mentem castam, & ei in castitate serviamus; & hoc modo propagetur genus humanum, & Ecclesia aeterno Deo colligatur.

12. Ex his sequentia elicio *πρόσφραση*: 1. Nuptias nō esse contractum, ut quidem sentit *Harpr. ad §. 1. l. de patr. pot. arg. l. 2. & 3. pr. ff. de dona. int. vir. junctâ l. 9. ff. de statulib.* 2. Nuptias esse conjunctionem

junctionem quandam, & potissimum quidem animorum: consensus enim & maritalis affectio Nuptias facit. l. 30. ff. de R. I. l. 32. §. 13. ff. de donat. inter vir. 3. Ex ipsâ definitione & peccatum Sodomiticum, & πορνείαν damnari, §. 6. & seq. l. de Nupt. l. 2. C. de Incest. Nupt. l. 7. C. de Iudæ. ubi Gothof. ad verbum diversa, in not. cap. Gaudeamus. de divor. Schneid. in comm. l. r. de Nupt. rubr. de Nupt. licitis, n. 3. & seq. 4. Inter conjuges etiam requirendum esse consensum in religione. l. 6. C. de Iudæ. 5. Matrimonium in tempus aliquod definitum non posse contrahi, neq; conditionem ullam recipere.

Quâ in parte simile est actibus legitimis. l. 77. ff. de R. I.

13. DIVISIO; quæ varia. Nam 1. Conjugium aliquod publicum dicitur, aliud clandestinum. Cujac. 6. Obs. 20. & ad rubr. de clandest. despons. 2. Aliud est verum, quod sc. verè existit & probari potest; aliud præsumtum, quod ex conjecturis est & præsumitur. Wesf. in par. ff. de R. N. n. 2. 3. Aliud est initiatum; aliud consummatum, sc. carnali copulâ, Cyp. de matr. c. 3. §. 4. Wesf. d. l. 4. Jure canonum aliud conjugium legitimum dicitur, & non ratum; aliud ratum, & non legitimum; aliud legitimum & ratum, can. fin. 28. caus. quest. 1. quorum terminorum explicationem habet. Wesf. d. l. & C. I. A. l. 23. t. 2. §. 25. n. 15. 5. Nuptiarum aliæ primæ sunt, aliæ secundæ. Primæ sunt ejus, qui cum in matrimonio nunquam fuerit, nunc est; Secundæ sunt quæ primas sequuntur, sive secundæ sint, sive tertiæ, sive quartæ, & sic deinceps, t. t. C. de sec. Nupt. N. 22. 6. Nuptiarum aliæ licitæ sunt, aliæ illicitæ; & ex his quædam injustæ & inutiles, quædam incestæ & nefariæ. t. t. C. de incest. & inut. nupt. Sed de his infra commodiùs.

14. SPECIALIS; in hac Nuptiæ considerandæ veniunt, tum ut CONSTITUENDÆ, tum ut CONSTITUTÆ.

15. Ut CONSTITUENDÆ; (add. l. §. 87.) attendendum hic partim ad CAUSAS, partim ad CONTRARIA.

16. CAUSÆ sunt tum EXTERNÆ, tum INTERNÆ.

17. EXTERNÆ sunt EFFICIENS, & FINIS.

18. EFFICIENS est REMOTA, & PROPINQUA.

19. REMOTA est jus, idque non modò divinum & naturale, sed & gentium, civile, & canonicum. Est enim conjugium ratione originis & affectionis juris naturæ. l. 1. §. 3. ff. de Inst. & Iur.

A 3

videmus

videmus enim eadem inclinatione naturali reliqua quoq; animalia conjungi; quoad institutionem est juris divini: *Gen. 2. §. 23. & seq.* ratione usus & consensus est juris gentium, *arg. l. 1. §. 3. ff. de pact. & l. 1. §. f. ff. de contrah. emt.* respectu formæ, solennitatum, & graduum quorundam prohibitionis, aliorumque quæ civili ratione nituntur, est juris civilis, *pr. 1. de Nupt. cap. Tua nos. 26. de Sponsal. Addatur Wes. in par. ff. de R. N. n. 3.*

20. PROPINQUA est consensus in Nuptias, eorum inprimis qui eadem contrahunt. *l. 30. ff. de R. l. l. 15. ff. de condit. & demost.* Neque enim quisquam ad Nuptias cogi debet. *l. 11. l. 13. ff. de Sponsal. l. 2. & 21. ff. de R. N. l. 12. & 14. C. de Nupt. Cujac. 16. obs. 33. D. Luth. in script. Das die Eltern die Kinder zur Ehe nicht zwingen! Schneid. comment. 1. de Nupt. par. 2. n. 41. & seq.* Ideoq; licet parentes juraverint de his & illis Nuptiis, juramentum tamen illud liberos non astringit, *l. 7. §. 16. ff. de pact. can. si verum, 31. caus. quæst. 2.* Immo & si pœnam promiserint solvendam ab eo, qui matrimonium consummare recusat, ea peti non potest. *cap. Gemma. de Sponsal. l. 134. pr. ff. de V. O. Schneid. d. l. n. 15.* licet filium patri temerè refragari non deceat, multo que minùs filiam, in quà elocandà aliquantò major Patris potestas, ut dissentiendi à Patre licentiam non habeat, nisi indigno moribus, vel turpi sponso electo. *l. 12. §. 1. ff. de Sponsal.*

21. Est tamen hæc in parte inter ipsos contrahentes differentia; aut enim SUI JURIS sunt, aut in POTESTATE PATRIA.

22. Si SUI JURIS; ipsorum contrahentium sufficit consensus. Sequitur ergo opus non esse, ut vel mater, vel avus maternus, vel pater ipse, qui filios emancipavit, consentiat: Planè filia emancipata, minor 25. annis, nuptiis suis justè contrahendis Patris voluntate indiget; utetur quoque consilio matris, curatorum, & propinquorù, sine patre constituta. *l. 18. & 20. C. de Nupt. ita tamen ut nihilominus filia suo arbitrato nubat. l. in copulandis. 8. C. eod.*

23. An consensus tutorum in Nuptiis pupillorum sit necessarius de jure civili, nulla potest incidere quæstio, quandoquidem nuptias iis, quibus tutores præsunt, contrahere interdictum. *pr. 1. de Nupt.* Sanè ad sponsalia contrahenda pupilli tutoris auctoritatem adhibere debent. *l. 6. ff. de Spons. l. 1. C. de Nupt.* Curatores verò



verò, qui solam rei familiaris sustinet administrationem, sicut & cognatorum & affinium, nullus omninò consensus in adulterorum Nuptiis requiritur. *l. 20. ff. de R. N. l. 8. C. de Nupt.*

24. Si in POTESTATE PATRIA, requiritur etiam illorum consensus, in quorum sunt potestate. *l. 2. ff. de R. N. in pr. l. eod. l. 12. & 20. C. eod.* Id enim non modò naturalis & civilis ratio suadet, *d. pr. sed & ipsæ sacræ literæ in liberorum Nuptiis parentum consensum exigunt. C. I. A. l. 23. t. 2. d. 5. pr.* Quæ regula amplianda. Interdum enim non sufficit consensus ejus, qui in potestate habet, verùm ejus quoque requiritur, in cujus potestatem contrahentes Nuptias recasuri sunt, mortuo eo, qui ipsos eorùmque patrem in potestate habet, si videlicet ei, in cujus potestatem contrahentes recasuri sunt, per Nuptias istas suus hæres agnasci possit. *l. 16. §. 1. ff. de R. N. arg. l. 6. ff. de adopt.*

25. Eadem regula restringenda quoque est 1. Si pater abfens, aut ab hostibus captus sit, tunc enim ante triennium liberis integrum est eam quærere conditionem, quam jure pater repudiate non possit; post triennium liberum est eorum arbitrium. *l. 9. §. 1. l. 10. & seq. ff. de R. N. temporis sc: illius conditione, necessitatèque faciente, & publicâ nuptiarum utilitate id exigente. l. 12. §. 3. ff. de capt. & postlim. 2.* Si avus & nepotem & neptem in potestate habeat, ex diversis liberis natos, eosque velit matrimonio copulari, tum si & horum patres in avi sint potestate, solius avi consensus sufficit. *l. 3. ff. de R. N. ob summam videlicet affectionem, cujus intuitu & aliàs eæ consistunt nuptiæ, quæ per se non valerent. Fac. l. 67. §. 1. ff. eod.*

26. Sed quid si parentes liberos, quos in potestate habent, injuriâ prohibeant uxores ducere, vel nubere, aut certè conditionem liberis nullam quærant? Piè profectò faciunt liberi, si in itid ad viros bonos rem deferant, ac non tantùm eorum consilio utantur, sed etiam orent, ut parentes ab iniquâ sententiâ abducant: si tamen his mediis in cassum laborent, licebit iis loci magistratum adire, qui causâ cognitâ parentes coget, liberos honestâ conditione quæsitâ, oblatâve, in matrimonium collocare, maximè si sint majores. *l. 19. ff. de R. N. N. 115. c. 3. §. 11. vers. si verò.*

27. Hic intricata se offert quæstio, utrum sc: præcisè necessarius

farius sit, in nuptiis filiorum familias, consensus parentum, seu iustus antecedens; an verò sufficiat etiam rati habitio? Prius affirmare non dubito, auctoritate *pr. l. de Nupt. ibi: precedere. l. 11. ff. de stat. hom. l. manifestum. c. de Nupt.* Si enim ab initio adfuerit consensus, nuptiæ ab initio statim iustæ sunt; si verò post accedat, tum demum iustæ fiunt nuptiæ, cum iustum parentis supervenit, ita ut hoc iustum parentis iustas nuptias semper antecedit.

28. Gemina superiori difficilis, & in utramque partem diu multumque agitata quæstio est: An nimirum conjunctio liberorum, absq; consensu parentum, & in eo casu ubi iustam dissentienti causam parentes habuissent, facta, hisce petentibus distrahi possit & debeat, etiam re non amplius integrâ? Canones negativam propugnant, *cap. penult. de raptor. can. sufficiat. 27. caus. quæst. 2. cui opinioni cum nonnullis Theologis, Phil. Melanch. in exam. loc. de conjug. plurimi Ictorum subscribunt. Wesf. in par. ff. de R. N. n. 8. Schneid. comm. l. r. de Nupt. par. 2. n. 35. & seqq. Beust. de matrim. cap. 47. Hillig. in Donn. enucl. l. 13. c. 20. l. v. in not. Vid. & C. l. A. l. 23. t. 2. §. 10.* Affirmativam tamen jure Justiniano veritorem esse firmiter statuo. §. 12. l. de Nupt. l. 2. ff. de R. N. l. 1. §. ult. ff. de lib. exhib. l. 30. ff. de R. l. l. 38. §. 4. ff. de adult. Num. 30. §. 6. Magnif. Dominus Praeses disp. Novo-Iustin. 2. t. 3. §. 19.

29. Anceps quoq; & dubia quæstio est, numquid & de jure Pontificio injuste sint Nuptiæ, sine parentum consensu contractæ? Dd. communiter volunt, eas esse firmas & ratas, & de honestate tantum, non de necessitate parentum consensum requiri. *Harpr. in comm. ad pr. l. de Nupt. Gail. 2. obs. 95. n. 5. Giphani, ad l. 30. ff. de R. l. Decius ibidem. Bellarmin. in lib. de Sacra. Matrim. c. 19. & 20. arg. can. sufficiat, 27. caus. quæst. 2. cap. 13. 23. & 25. de Sponsal. Concil. Trident. sess. 24. can. 1. in pr. ibi: Sancta Synodus Tridentina anathemate damnat eos, qui falsò affirmant, matrimonia à filiisfam. sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse. Verior tamen sententia est, etiam de jure Canonico, consensum Parentum ad Nuptias requiri. Cujac. ad rubr. c. de Spons. Donell. 13. comm. 20. A. Gentil. de Nupt. cap. 4. cum seqq. Wesf. in par. ff. de R. N. n. 3. Beust. de matrim. c. 45. & 46. Arnsæ. de jure connub. cap. 3. sect. 10. n. 16. & seqq. Bientius in lib. Wie in Ehefachen zu handeln: q. 1.*

q. 1. Quicquid sit, nos Canones suis relinquimus contradictionibus, salva manente juris nostri auctoritate: Nam, ut alius quidam loquitur; leges civiles, de necessitate paterni consensus, notiores sunt, quam ut ignorari; clariores, quam ut obscurari; sanctiores, quam ut jure aboleti possint. *Add. omnino C. 1. A. lib. 23. t. 2. §. 5.*

30. FINIS est tum PRINCIPALIS, tum MINUS PRINCIPALIS.

31. PRINCIPALIS est tum INTERMEDIUS, tum ULTIMUS.

32. INTERMEDIUS est, ut soboles procreetur, humanum genus propagandi, & civitatem liberis replendi causa. *l. liberorum 220. §. 3. & ibi Gothof. & Godda. ff. de V. S. l. 1. & l. si cum dotem. 22. §. si maritus. ff. sol. matr. sicuti non modò in primà conjugii institutione ordinatum est: Crescite, & multiplicamini, Gen. 1. §. 28. Tob. 8. §. 9. sed & in LL. nostris, l. 1. §. 15. ff. de ventre in posses. mit. dicitur, Liberos nò tantum parentibus, sed & Reipub. nasci. Egrege Augustin. 3. contra Iulian. Pudicitia conjugalit facit, quod præscribitur tabulæ matrimoniales, ne ultra, quam generandis filiis factis est, conjugis corpus atrectetur: & serm. 244. Uxor non propter libidinem, sed propter filiorum procreationem accipitur, denique ipsæ tabulæ matrimoniales id continent liberorum procreandum causa. *Add. N. 22. pr. & ibi Cujac.**

33. ULTIMUS est gloria Dei. Conjugium enim illud fertile est seminarium, cujus beneficio ad posteritatem propagatur Deo Ecclesia. Quo sensu & Propheta *Ezechias c. 16. §. 20. & c. 23. §. 37.* scribit, filios & filias Deo generari: & Plato *l. 6. de LL.* ideo præcipit operam conjugio dandam, ut alios Deo pro nobis cultores relinquamus.

34. MINUS PRINCIPALES sunt varii. 1. ut familiæ constituentur, nomenq; familiarum conservetur. *l. 9. C. de quast.* 2. Ut vitentur stupra & adulteria. *1. ad Cor. 7. ibi: propter fornicationem, & c.* 3. Ut homo omnium studiorum ac laborum sociam habeat, quæ vitæ ærumnas leniat, & laboranti opem præstet. *Gen. 2. §. 18.* 4. Ut gignendis alendisque liberis, æquè ac in aliis. *1. ad Tim. 5. §. 4.* vicem mutuam parentibus reddamus. *Val. Max. l. 2. c. 4. §. 5.* deniq; ut sit imago & typus fœderis sancti, perpetui, & spiritualis inter Christum & Ecclesiam *Ephes. 5. §. 23. & serm. Add. Gothof. in not. ad l. 220. §. 3. ff. de V. S. & Wes. in parat. ff. de R. N. n. 6.*

B 37. IN-

35. INTERNÆ sunt MATERIA, & FORMA.

36. MATERIA. Hic de Personis quæ iustas licitâsq; Nuptias contrahunt, tractabo; habet enim id ipsum subjecti ratione, quod ad causam materialem pertinet; licet quoq; non incongruè ad efficientem personæ referri possint.

37. Sciendum autem, regulare esse, ut Nuptias contrahere possint, qui contrahere non sunt prohibiti. *arg. l. 12. pr. ff. de judic. l. 43. §. 1. ff. de Procurat. & cap. cum apud. 23. de Sponsal.*

38. Prohibentur autem quidam LEGE & NATURA SIMUL, ob naturalem aliquam rationem; vel LEGE SOLA, ob rationem aliquam civilem. *Vult. l. 1. I. R. c. 18. n. 8.*

39. LEGE & NATURA SIMUL, iique vel propter NECESSITUDINEM, vel propter DEFECTUM aliquem.

40. NECESSITUDO est vel COGNATIONIS, vel AFFINITATIS.

41. COGNATIONIS. Hic tenendæ sunt regulæ, quæ sequuntur. 1. In lineâ rectâ, seu inter ascendentes & descendentes prohibita sunt Nuptiæ in infinitum. *l. 53. ff. de R. N. l. Nemini. 17. C. de Nupt. Quod aded verum est, ut neq; ij qui per adoptionem, atq; ita civili duntaxat jure, parentum liberorumq; loco sibi esse cæperint, matrimonio jungi possint, adoptione etiam iterum dissolutâ. §. 1. I. de Nupt. l. 55. l. 14. pr. & §. 1. ff. de R. N. l. 23. f. ff. de adopt. 2. In lineâ transversâ non modò inter fratres & sorores, sed & in infinitum inter eos qui sibi invicem parentum liberorumque loco sunt, Nuptiæ sunt prohibita. §. 2. 3. & §. 1. de Nupt. l. 17. §. 2. ff. de R. N. l. Nemini. 17. C. de Nupt. Quod idem in cognatione quæ ex adoptione est, quamdiu adoptio durat, obtinebit. *arg. dd. LL. 3. Ceteri qui in quarto sunt gradu, & ultra eum, matrimonio copulari possunt. §. 4. I. de Nupt. l. 3. l. 67. §. 1. ff. de R. N. l. 19. C. de Nupt. Levit. c. 18. & 20. Deuter. c. 27.**

42. Atque hæc jure civili obtinent; secundum Canones autem matrimonium contrahere non possunt, quicumque sunt in quarto cognationis, à latere venientis, gradu, observatâ numeratione juris Canonici, id est, in octavo gradu, secundum jus civile factâ dinumeratione; ut ita nono demum gradu cognationis licitæ sint Nuptiæ. *cap. Non debet. 8. cap. vir qui. de Consanguin. & affin. quæ prohibitio*

prohibitio tamen, ut vix ullam habens rationem, in iis terris, ubi Pontificia supersticio ejecta, non obtinet. *C. I. A. l. 23, t. 2, d. 15. De modo computandi gradus, tam quoad jus civile, quam Canonicum. vid. Vult. l. 1. I. R. c. 8, p. m. 43. & seq. Schneid. t. I. de Nupt. in rubr. de arb. civili & Canon. ubi & n. 7. causam aperit, cur de jure civili qualibet persona gradum constituat, de Canonico non item.*

43. AFFINITATIS; Hic sequentes observandæ regulæ.  
1. Inter Affines, qui Parentum liberorumque loco sibi invicem sunt, (vel solum fuerunt) Nuptiæ esse non possunt. §. 6. & 7. *l. de Nupt. l. 14. §. 4. l. 15. l. 40. ff. de R. N. Quod etiam in affinitate per adoptionem acquisita obtinet. l. 14. pr. & §. 1. ff. eod. Intelliguntur autem Parentum liberorumque loco esse omnes illi, quorum cognatio affinitasque definiri aliter non potest, quam adhibito nomine reverentiæ paternæ. C. I. A. l. 23. t. 2. d. 13. n. 1.* 2. Inter affines, qui sibi invicem sunt fratrum & sororum loco, Nuptiæ sunt prohibita. *l. 5. 8. & 9. C. de incest. Nupt. quæ tamen prohibitiones in primo tantum affinitatis genere locum habent, non in secundo & tertio. cap. non debet. de consang. & affinit. Wes. in par. ff. de R. N. n. 4. Add. Vult. l. 1. I. R. c. 8. n. 73. & Schneid. comm. Inst. de Nupt. rubr. de arb. affinit. n. 7.*

44. Qui extra hos gradus sunt affines, prohibitionem non habent. Nec duo fratres duas sorores, vel alter frater alterius sororem ducere prohibetur, quandoquidem inter cognatos viri & mulieris nulla contrahitur affinitas: quemadmodum nec mariti filius ex uxore aliâ, novercæ filiam ex marito alio ducere vetatur. §. 8. *l. de Nupt. l. 34. §. 2. ff. de R. N. l. 134. pr. ff. V. S. Et notat Hilliger. in Den. enucl. 13. c. 19. l. L. casum singularem, ubi mater rectè dicit: Hic est filius filii mei, & frater mariti mei; quando sc: filius ducit matrem alienam, & mater filii nubit illiusmet ductæ sui filii uxoris filio. Verum in ejusmodi conjunctionibus, non solum quid liceat considerandum est, sed & quod honestum sit. l. 42. pr. ff. de R. N.*

45. Sed & Affinitas sperata, sive sponsalibus promissa, prohibitionis obicé ponit. Hinc. n pater prohibetur filii sui sponsâ ducere, & filius sponsâ patris. §. 9. *f. l. de Nupt. l. 12. §. 1. & 2. ff. de R. N. cap. literas tue. de desp. imp. Item sponsam fratris ducere non licet, neq; sororé sponsæ, ac proinde neque mulier nubere potest fratri sponsi sui,*  
neque

neque fororis suæ sponso, cum eadem sit affinitatis ratio. *arg. l. p̄-  
nult. c. de incest Nupt.*

46. Atq; cum hæ cognationis & affinitatis prohibitiones  
in naturâ ipsâ sint positæ, cujus communionem habent etiam alii,  
quàm Cives Romani, (omnes enim eandem nascendi legem à na-  
turâ habent) inter alios etiam eandem prohibitiones (quanquam  
ratione graduum nonnunquâ diversimodè) custodiendæ erunt. Et  
inter ipsos cives Romanos serviles quoq; cognationes & affinita-  
tes impedimento sunt Nuptiis, §. 10. *t. de Nupt. l. 4. §. 2. & 3. ff. de R.N.*

47. Immò & spiritualis cognatio ob reverentiam paterni  
nominis inter testem baptismi seu sponsorem in baptismo, & bap-  
tisatum Nuptiarum viam præcludit. *l. 26. f. c. de Nupt. cui consen-  
tit jus Canonicum, & spirituales illam cognationem, matrimo-  
niq; prohibitionem, non tantùm extendit ad baptisatum & spon-  
sorem, verùm etiam ad eorum parentes & liberos. t. t. de cogn. spir.  
sed moribus nostris, in terris reformatæ religionis, ejusmodi co-  
gnatio nullum creat impedimentum. Boc. clas. 1. disp. 9. §. 47. & seq.  
A. Gent. de Nupt. l. 5. c. f.* Alioquin eadem ratione inter omnes qui  
Christo initiati sunt, ac nomen dederunt, obicem prohibitionis  
ponere liceat, cùm universi sibi invicem fratris ac fororis loco, im-  
mò ejusdem corporis membra spiritualiter existant; quæ tamen  
spiritualis fraternitas & cognatio, à politicis hujus vitæ ordinatio-  
nibus, tota separata est. *Wesf. in par. ff. de R. N. n. 4. f.*

48. DEFECTUS est vel ANIMI, vel CORPORIS.

49. ANIMI defectus in his est, qui non intelligunt quid  
agatur; cujusmodi sunt INFANTES, & FURIOSI.

50. INFANTES. Injustæ enim & inutiles Nuptiæ sunt,  
quæ contrahuntur ab iis, qui non sunt justæ ætatis. *pr. l. de Nupt. l.  
8. ff. de condit. caus. dat.* Justa autem Nuptiarum ætas est decimus  
quartus in masculis, & duodecimus in fœminis annus; hujus enim  
ætatis qui non sunt, rectè Nuptias contrahere non possunt, sive  
sui juris sint, sive in potestate patriæ. *d. pr. l. 9. ff. de spons. l. 4. ff. de R.N.  
l. 32. §. pen. & ult. ff. de donat. int. vir. cap. ubi non. 2. de despons. impub.  
Jure tamen Canonico etiam ante 14. & 12. annum Nuptiæ permit-  
tuntur, si malitia suppleat ætatem. *cap. puberes. 3. c. de illis. 9. c. à no-  
bis. 8. & cap. ult. de despons. impub. ad. COVARTU. p. 2. c. 5. n. 4. & seq. C.  
l. A. l. 23. t. 2. §. 16. n. 2.**

§. FURIO-

51. FURIOSI; hi enim ob deficientē consensū jure Nuptias non contrahunt. l. 8. ff. de his qui sui vel alien. l. 16. §. ult. ff. de R. N. l. 22. §. 7. ff. sol. matr. l. 4. ff. de divort. can. hic qui. 25. c. neg. furiosus. 26. 32. caus. quæst. 7. licet furor contractas non dirimat, dd. LL. nisi nimis sit ferrox & perniciosus, secundum l. 22. §. 7. ff. solut. matr.

52. CORPORIS defectus in his est, qui ob vitium aliquod corporis apprens ad procreandam sobolem inepti sunt; quales sunt castrati, §. 9. l. de adopt. l. 39. §. 1. ff. de jure dot. l. 14. §. 2. ff. de manum. vind. l. in caus. 10. C. de repud. aliud tamen in spadonibus observatur, arg. dd. LL. Conf. A. Gent. de Nupt. l. 3. c. 2. & Beust. de matrim. c. 14. Olim L. Julia & Papia sexagenarii, & quinquagenariæ Nuptias prohibuit, eò quod soboles vix speranda, quod tamen Justiniano nostro displicuit, qui, cum Scto Claudio jam ante maribus sexagenariis jus Nuptiarum datum esset, idem in fœminis valere jussit, antiquatâ hâc in parte L. Julia & Papiæ observatione. l. 27. C. de Nupt. & l. 2. C. de legit. hered.

53. LEGESOLA prohibentur quidam OMNIMODO, quidam QUODAMMODO.

54. OMNIMODO; hujus generis sunt omnes illi, qui juris civilis nullam habent communionem; pr. l. de Nupt. Tac. l. 1. C. de Repud. l. 5. §. 1. ff. de bon. damn. ut sunt tùm PEREGRINI, tùm SERVI.

55. PEREGRINI, quibus nulla est cum Romanis necessitudo, Macr. l. 1. Saturn. 6. soli enim cives Romani connubium habent, id est, jus uxoris ducendæ, ut exinde acquiratur patria potestas, pr. & §. 2. l. de patr. pot. Justæ enim Nuptiæ dicuntur, quæ sunt jure civili justæ. Unde fit, ut quamvis alio jure sint justæ, nisi & jure civili tales sint, jus civile eas non agnoscat pro justis, neque justarum Nuptiarum jura ipsis attribuat. Vlp. in fragm. §. 4. 5. 6. & ibi Dn. Gotthof. C. I. A. l. 23. t. 2. §. 16. n. 1. Romanis enim justum nihil est, nisi quod ipsorum legibus est conveniens. Vult. l. 1. l. R. c. 19. n. 18.

56. SERVI, qui etiam à justis Nuptiis excluduntur, pr. l. de Nupt. l. 39. pr. l. 67. ff. de jure dot. l. 7. ff. de lib. agnos. l. 3. C. de incest. & inutil. N. 22. c. 9. & seq. Qui enim libertate caret, civitatem habere non potest, neque ex servo ventre ingenui familiæ hæredes nasci possunt. Wesf. in parat. ff. de R. N. n. 4. Appellat autem jus Civile

vile Nuptias, quales in servos cadere possunt, contubernium. l. 14. §. 3. ff. de R. N. l. 3. C. de incest. Nupr. nihilominus in iis vita consuetudinem individuam probans. l. 12. §. 7. ff. de instr. & inst. legato. l. 11. C. commun. utr. jud. Licet igitur jus Canonicum inter servos quoq; Nuptias agnoscat, cap. Dignum est. de Conjug. serv. tamen præter nudam nominis communicationem, reverà non multum præstat, quod non ante etiam juris civilis permissu ex jure gentium habuerint. C. l. A. l. 23. t. 2. §. 16. n. 1.

57. QUODAMMODO prohibentur alii ob HONESTATEM, alii ob CAUSAM SPECIALEM.

58. Ob HONESTATEM, quæ merito attenditur, cum in conjunctionibus non tantum id quod licet, sed etiam quod honestum est spectandum sit. l. 42. pr. ff. de R. N. l. 197. ff. de R. I. Hinc evenit, ut vir filiam uxoris post divortium ex alio marito susceptam ducere non possit, licet privigna non sit. §. 9. l. de Nupr. l. 12. §. 3. ff. de R. N. Hinc licet sponsa patris Noverca tua non sit, nec sponsa filii nurus tua, rectius tamen eos facturos Icti existimant, qui ab ejusmodi Nuptiis abstinerint. §. 9. l. de Nupr. l. 12. §. 1. & 2. ff. de R. N. de quibus etiam supra th. 45. Hinc est, quod adulterii damnatam, neque alii scienti ducere, neque viro reducere liceat. l. 29. §. 1. l. 33. §. 1. ff. ad l. lul. de adult. l. 9. C. eod. nisi vir eam ex monasterio intra biennium receperit. N. 134. c. 10. Ream verò adulterii factam, licet vivente marito ne quidem ante damnationem alii integrum sit ducere, l. 26. ff. & R. N. tamen vir abolitione petita eam reducere potest. l. 34. §. 1. ff. eod. Ergo hoc casu alius quoque eam ducere potest. C. l. A. l. 23. t. 2. §. 16. n. 1. Hinc deniq; est, quod neq; adulter adulterâ ducere possit. N. 134. c. 12. t. 1. de eo qui dux. in. matr. quam poll.

59. Ob CAUSAM SPECIALEM, eamque vel INÆQUALITATIS, vel OFFICII seu ADMINISTRATIONIS.

60. INÆQUALITATIS. Hæc vel ex RELIGIONE oritur, vel ex DIGNITATE.

61. RELIGIONE; Nam Christianus cum non Christianâ, aut Christiana cum non Christiano Nuptiâs contrahere non potest. l. 6. C. de Ind. & Celtic. can. Cave. 15. 28. caus. quest. 1. idemque dicendum de iis hæreticis, quibus Imp. Christianorum constitutionibus interdicta est omnis legitima conversatio cum Christianis,



nis, de quibus l. 4. & l. 21. C. de Hæret. & Manicha. Secus olim fuit temporibus primitivæ Ecclesiæ, ut apparet ex 1. ad Cor. 7. §. 12. & seqq. quibus ob Christianorum paucitatem inter fidelem & infidelem Nuptiæ constiterunt, idque eâ ratione, quod spes esset infidelem à fidele conjuge convertum iri. 1. Petr. 3. §. 1. quæ spes etiam hodie inter diversæ religionis conjuges matrimonium sustentat. C. l. A. l. 23. t. 2. d. 16. n. 14.

62. DIGNITATE; Prohibitio hæc maximâ sui parte est ex L. Juliâ de maritandis ordinibus, quâ fit, ut inutiles sint Nuptiæ, si vir senatorius, aut aliâ dignitate præditus duceret libertinam, scenicam, vel scenicæ filiam, tabernariam, tabernarii, lenonis, aut arenarii filiâ, aut judicio publico damnatâ, l. 23. 27. l. 31. & seq. l. 43. §. 10. l. 44. 49. §. 8. ff. de R. N. l. 23. C. de Nupt. l. 7. C. de incest. & inutil. Quod tamen abrogatum. N. 78. c. 3. N. 117. c. 6. Item si patrona ejusve filia nubat liberto, l. 3. C. de Nupt. Item si Senatoris filia, neptis, vel proneptis conjugio sibi jungat libertinû, aut eum qui artem ludicram exercuit, aut cuius pater matêrve id fecit. l. 16. l. 34. §. f. l. 42. §. ult. l. 44. pr. vers. neve senatoris. ff. de R. N. quod non tam per N. 117. c. 6. mutatum, quàm re sublatâ exolevit.

63. OFFICII seu ADMINISTRATIONIS, eiusq; PUBLICÆ, vel QUASI PUBLICÆ. Vult. l. 1. l. R. c. 18. n. 38.

64. PUBLICÆ; Nam ob publicam administrationē, Præfidi seu magistratui provinciali, v. g. Procuratori Cæsaris, Præfecto cohortis, aut Tribuno equitum, omnibusque, qui aliquod in provinciâ munus gerunt, quique ad eos pertinent, ut sunt liberi, propinqui, comites, consiliarii, domestici, uxorem ex eâdem oriundam vel domicilium habentem ducere non licet, l. 38. l. 57. pr. l. 63. l. 65. ff. de R. N. l. 6. C. de Nupt. l. un. C. si quacumq; præd. potest. Sponfare tamen possunt; ut si post depositum officium mulier nolit Nuptias contrahere, arras solùm reddat. d. l. 38. quod si durante officio id declaret, arras etiam retinere potest. l. un. C. si Rect. provinc. Cui geminum, quod neque Miles olim ducere poterat natam in eâ provinciâ, in quâ ipse stipendia merebat. l. 3. §. 1. ff. de donat. int. vir. l. 65. pr. ff. de R. N. Quas tamen prohibitiones præsens repudiat status Reipub. notante Havpr. ad §. II. l. de Nupt.

65. QUASI PUBLICÆ, ob quam interdictum est tutori vel

vel curatori, ne vel ipsi, vel eorum pater, aut filius, aut nepos, aut hæres ducant in uxorem eam, cujus tutelam vel curam ipsi hæredes eorum gesserunt, nisi vel à patre tutori, aut hæredi ejusdem ea sit desponsa, testamentòve destinata; aut post rationes redditas puella 16. ætatis annum impleverit, vel etiam beneficium Principale impetraverit. *l. 15. ff. de spon. l. 36. l. 59. l. 60. & seqq. l. 66. & seq. ff. de R. N. r. r. C. de interd. matr. int. pup. & tut. & ibi Cujac. l. 64. §. f. ff. de R. N. l. Curatorem. C. de interd. matr.* Adde hinc enormitatem flagitii facere, ut inter raptorem & raptam matrimonium non sit. *l. un. C. de rapt. virgin. N. 143. N. 150.* Quanquam jus Canonicum hinc aliquid concedat. *cap. ult. & penult. de Raptor. in eund.*

66. Notandum hic venit, quod quædam Nuptiæ ab initio non valentes, utpote contra aliquam è superioribus prohibitionem contractæ, ex post facto tamen convalescere possint, quarum exempla recenset. *C. l. A. l. 23. r. 2. §. 17. per. r.* quò lectorem remitto.

67. Solet tamen interdum in his prohibitionibus Magistratus dispensare ut loquuntur; quâ in parte hæc regula comprobata est: De jure humano positivo fieri potest interdum dispensatio, & relaxatio quædam; singulari tamen prudentiâ Magistratuum, & eorum penes quos jus dispensandi est adhibita; ne dispensatio sit dissipatio: At contra jus divinum, nulla valet omnino dispensatio. *Schneid. in comm. l. r. de Nupt. rubr. de arb. affin. n. 22. Canonist. communiter in cap. super eo. 4. de usur. Eeusl. de Matrim. c. 56. Phil. Mel. in Ethic. de consang. & affinit.*

68. Contra has prohibitiones Nuptias qui celebrant, ij vel injustas & inutiles; vel partim jure gentium, partim jure Civili nefarias & incestas contrahunt; *arg. rubr. C. de incest. & inutil. Nupt. de quarum penis nunc paucis agendum.*

69. Sciendum autem inutiles Nuptias, cum contra LL. fiant, non solum effectu carere. *l. 5. C. de LL.* sed nec nomen mereri, nec virum, nec uxorem, nec nuptias, nec dotem, nec donationem propter nuptias intelligi. *§. 12. l. de Nupt. l. 8. ff. de condit. caus. datâ;* Liberosque non nasci in potestate patriâ, utpote quæ ex justis tantum Nuptiis oritur. *d. §. 12. pr. l. de patr. potest. & quamvis naturâ certum habeant patrem, tamen, quoad patriam potestatem, similes*

similes esse iis, quos mater vulgò concepit; ut & ipsi Patrem non habere intelligantur, cùm pater eorum incertus sit, utpote quem Nuptiæ non demonstrant. *d. §. 12. l. 5. ff. de in jus vocan. l. 25. ff. de captiv. & postlim.*

70. Præterea si eæ personæ, quæ quidem sine crimine incestus & adulterii conjungi possunt, speciali tamen jure civili prohibentur, matrimonium contrahant; dos sit caduca, id est sitco cedit. *l. 38. §. 1. & l. 61. ff. de R. N.* cogiturque maritus restituere fisco omne id, quod judicio de dote reddere eum oporteret. *d. l. 61. neq; enim ullum lucrum ex dote habere potest, quæ nulla est, l. 58. ff. eod. nisi virum mulier, vel contra deceperit, d. l. 58.* Isto enim casu deceptus contra decipientem utilem habet actionem: quæ & mulieri erranti competit. *l. 22. §. f. ff. sol. matrim. l. 3. C. eod.* Donatio etiam quocunque nomine sive ante sive post Nuptias alteri ab altero facta, sit caduca. *l. 32. §. f. ff. de donat. int. vir & uxor* nisi acerrimò errore, & ætatis lubrico lapsi, errore comperto ejusmodi conjunctionem diremerint, licitàque aliàs fuerit donatio. *l. 4. C. de incest. & inut. Nupt. l. 3. ff. de donat. int. vir.* In conjugio Christiani cum Judæa pœna adulterii obtinet. *l. 6. C. de judæ. & cælic.* Si tutor vel curator pupillam suam, extra casus exceptos, ducit uxorem, infamiâ notatur; si jungat filio suo, uterque infamatur, & pro dignitate pupillæ extra ordinem coercetur. *l. 66. in pr. ff. de R. N. Add. C. 1. A. l. 23. t. 2. §. 18. Schneid. comm. 1. de Nupt. rubr. de Nupt. illuc. n. 15. & seq.*

71. Si verò nefariæ & incestæ sunt Nuptiæ, præter superius enumeratas, aliæ adhuc contrahentes manent pœnæ. Liberi enim ex tali complexu nati nec naturales appellandi, quod tamè nomen reliquis omnibus ex non damnato complexu procreatis permittitur. *l. 7. C. de natur. liber. N. 89. c. 15.* neque alendi à Parentibus *d. c. 15.* Testandi quoque libertas contrahentibus eripitur, ne relinquatur aliis quàm liberis legitimis, parentib; aut à latere cognatis, quos ab intestato haberent successores; neq; tamen ex his ipsis illi; qui de contrahendis illis Nuptiis consilium inierit, quippe in cujus exclusivum locum succedat, qui gradu proximus invenitur. *l. 6. C. de incest. nupt.* Quæ pœna ampliata est per *N. 12. cap. 1. & 2.* Si enim nullos habent ex justis Nuptiis liberos, omnia eorum etiam adhuc viventium

C

ventium

ventium bona fisco cedunt; si verò liberos habent, bona ad eos per-  
veniunt, eisdemq; liberi eo ipso sue sunt potestatis; & parentes alere  
soguntur. Spoliantur etiam omni dignitate, & in exilium mittun-  
tur, & si viles sint personæ, etiam verberantur. *N. 12. c. 1. Quæ ta-*  
*men pœna pro diversitate circumstantiarum augeri & minui po-*  
*teit. N. 139. N. 154.* ita ut & vita ipsis possit adimi, si atrocior sit in-  
cestus, quod non obtinet, si sola juris civilis violata est observatio,  
ut in adoptivis. *l. 38. §. 2. ff. ad L. lul. de adult. Vid. Schneid. comm. 1.*  
*de Nupt. illic. n. 5. & seqq. Beust. de Matr. cap. 63. Hillig. in Don. enucl. l.*  
*13. c. 19. in not. l. Dd.*

72. Sed annon & secundæ Nuptiæ illicitarum non ven-  
rentur? Sanè et si terties pluriúsve Nuptias contrahere liceat. *l. 6. C.*  
*de secun. Nupt. l. 4. C. de bon. qua liber. et si hæ ipsæ legitimæ sint, N.*  
*39. c. 2. vers. si enim illas. & castæ. N. 2. cap. 3. vers. nec enim maiores.*  
Justam tamen exprobrationem Nuptiæ etiam secundæ habere vi-  
dentur, *Cujac. in parat. C. de secund. Nupt. A. Gent. l. 6. de Nupt. c. 23.*  
permissæque magis videntur, quàm probatæ; quibusdam etiam  
repræhensionem ac pœnam habentibus tùm IMMATURITATIS,  
tùm INTEMPERANTIÆ. *Vult. l. I. I. R. c. 19. n. 39.*

73. IMMATURITATIS quidem illæ, quibus scæmina nubit  
intra annum luctus; *Nov. 22. c. 22.* quod in viros non cadit, ut qui  
scæminas non lugent. *l. 9. ff. de his qui not. inf.* ideòq; uxorem secun-  
dam ducere possunt statim priore matrimonio soluto. *l. 8. C. de Re-*  
*pucl. N. 22.* Cujus prohibitionis ratio non in incerto tantùm uteris  
confusioneq; sanguinis, sed etiam in memoriâ & reverentiâ defun-  
cti mariti posita est. *Cujac. 9. obs. 32.* Quod tamen Jure Canonico  
& consuetudine hodiernâ contemnitur. *cap. pen. & ult. de secund.*  
*Nupt. Sed omninò malè.*

74. INTEMPERANTIÆ repræhensionem habent illæ, quas  
quis facit, existentibus liberis ex Nuptiis superioribus; quod tam  
ad marem, quàm ad scæminam spectat. *N. 22. c. 23.* Coërcentur au-  
tem secundæ Nuptiæ certis quibusdam pœnis, de quibus sub tit.  
*ff. ex quib. caus. infam. irrog. & C. de secund. Nupt. junctâ N. 22. co-*  
*piose agit. Addatur & C. l. A. l. 23. t. 2. h. 20. & seqq.*

75. FORMA contrahendarum Nuptiarum olim varia fuit.  
*Ulpian. t. 9. 10. 25. & seq. Agell. 18. Noct. Attic. 6. Alex. ab Alex. l. Ge-*  
*nia.*

*nial. diet. Cujac. 6. obs. 16. & 20.* Tribus enim modis habebatur Uxor: aut farre, quod erat Pontificium; aut usu & consuetudine, quod erat vulgare; aut coëmptione & conventione in manum viri, per quam uxor efficiebatur Materfamilias, transibatq; in familiam viri, & alter alteri suis efficiebatur hæres. *Hilleg. in Donell. enucl. lib. 13. cap. 19. lit. Hb. Tiraquell. in LL. Connub. l. 4. n. 4.*

76. Sed & varii ritus & solemnitates in usu olim erant; nimirum in diebus in quibus Nuptiæ celebrarentur, in vestitu & ornatu sponsæ, in flammeo, in facibus, in colo comtâ cum fuso & stamine, in tribus assibus, in foribus ædium ornandis floribus & frondibus, in januis ungendis, in transiliendo limine januæ, in traditione clavium, in pelle lanatâ, in aquâ & igni, in cænâ Nuptiali, in tibiâ, in thalassione, in nucibus spargendis, in lecto togâ strato, & ejusmodi aliis, de quibus latè *Briffon. lib. sing. de Rit. Nupt. Per. Fab. 2. semest. 23. Gotthof. ad rubr. C. de Sponsal. l. l. Scal. 3. Poërices. 101.*

77. Inter has tamen solemnitates præcipua erat Deductio, quam triplicem apud ICtos, & alios boni commatis auctores, invenimus: 1. in hortos, 2. in domum, 3. in cubiculum; ex quibus tamen nec media, (de cæteris enim minor dubitatio) ad Nuptiarum perfectionem necessaria. *l. 6. ff. de R. N. l. 22. C. de Nupt. l. i. ceter in dubio, & cum de consensu dubitatur, per deductionem, tanquam signum consensu, matrimonium ostendatur. l. 5. ff. de R. N. l. 24. C. de Nupt. l. 6. C. de donat. ant. Nupt.* In cujus locum apud nos successisse videtur deductio ad templum, & maximè Benedictio Sacerdotalis. *Nov. 74. c. 5. can. nulli. 35. caus. quest. 2. can. aliter; can. Nullus, c. sponsus. 30. caus. quest. 5. eaq; publica coram Ecclesiâ. cap. 2. & 3. de cland. Sponsal. vel cœtu aliquot fidelium Ecclesiam representante, Schurff. cons. 1. n. 8. cent. 1.* Nam duplex plerisq; in locis adhibetur: Altera privata, cum Nuptiæ contrahuntur, sive ut quibusdam loqui placet, quando contrahuntur sponsalia de præsentibus: Altera Publica, quæ fit in templo coram Ecclesiâ, quando festivitàs Nuptiarum celebratur.

78. Cæterum, & hodie rectè contrahuntur Nuptiæ, etiam sine ullâ pompâ. *l. 22. C. de Nupt.* (dummodò earum magis quàm sponsalium causâ stipulatio & benedictio sacerdotalis, testatò & solemniter facta accesserit,) neque verbis modò, sed & signis consensura

consensum exprimentibus. *cap. Tua. 25. cum seq. de Sponsal. & sufficit*  
tacitus etiam consensus, ut cum surdi aut muti Nuptias contra-  
hant, modò non sit simulatus. *l. 30. ff. de R. N. Nec interest scriptum*  
aut instrumentum Nuptiale interveniat, vel non; modò Nuptiæ  
aliunde probari possint. *l. 4. ff. de fid. instrum. l. 4. ff. de pignor. & hy-*  
*poth. l. 2. l. 9. & l. 19. C. de Nupt. Interdum tamen nuptialia instru-*  
*menta requiruntur. §. fin. l. de Nupt. ubi Pacius. N. 78. c. 3. N. 117. c.*  
*4. & 6. Quæ verò sit forma probandi matrimonium, explicant*  
*Wesemb. in par. ff. de R. N. n. 5. & A. Gentil. l. 7. perrot. de Nupt.*

79. Notandum hîc venit, jure Canonico de tempore Nu-  
ptiarum celebrandarum cautum esse, ne tempore quadragesimali,  
aliisque abstinentiæ diebus, aut tribus septimanis, quæ Johannis  
Baptistæ festum antecedunt, ut nec ab Adventu Christi usq; ad Epi-  
phaniam Nuptiæ celebrentur. *Can. Vir cum propriâ. 7. §. fin. can. Non*  
*oportet. 8. & seqq. 33. caus. quæst. 4. Bocer. clas. 1. disp. 9. b. 72.*

80. CONTRARIA; non quidem ea, quæ Nuptias contractas  
dissolvunt, de quibus infra, sed quæ nondum contractas impediunt  
contrahi: Inter quæ eminent Dissensus; cùm enim Nuptiæ consen-  
su contrahantur. *l. 30. ff. de R. l. sequitur ex naturâ contrariorum;*  
nihil tam contrarium esse Nuptiis, quàm dissensum, & absq; con-  
ventione Nuptias constitui, & constare non posse. *Wes. in par. ff. de*  
*R. N. n. 8. Eum autem multa impediunt, in primis V I S & M E T U S,*  
*DOLUS, EBRIETAS, JOCUS, & ERROR; de quibus paucis.*

81. V I S & M E T U S. Quamvis enim aliàs per vim metumq; q;gesta  
stricto jure valeant. *l. 21. §. f. ff. quod met. causâ. l. Interposit. 13. C. de transact.*  
tamen quia matrimonia debent esse liberrima, *l. §. §. 1. f. C. de Sponsal. Ideòq; coacta per vim metumque judicantur*  
ipso jure nulla. *cap. Veniens. 13. cap. cum locum. 14. de Sponsal. nisi*  
causâ metus cessante vel libera ratihabitio, vel copula voluntaria  
fuerit subsecuta. *Beust. de matrim. c. 44. Qui metus etsi regulariter*  
definiatur, qui in constantè virum cadat; tamen in muliere sufficit,  
qui in constantem mulierem cadere possit, quem ex personarum  
qualitate, aliisque circumstantiis prudens judex æstimabit. *Gail. 2.*  
*obs. 93. n. 7. A. Gentil. de Nupt. lib. 3. cap. 9. Excipitur tamen hîc me-*  
*tus reverentialis, qui non infirmat matrimonium. Schneid. commen-*  
*l. de Nupt. rubr. de Nupt. licit. n. 21. & seqq. Beust. de Matrim. d. c. 44.*

82. DOLUS

82. DOLUS. Nam & hic impedit consensum, & matrimonium vitiat. *cap. Tua nos. 26. in f. de Sponsal. Cypr. de Sponsal. c. 13. §. 58. A. Gentil. de Nupt. l. 3. cap. 4. & 5.* Inprimis si de dolo causam dante contrahendis Nuptiis sit sermo. *Wesemb. in par. ff. de R. N. num. 8.*

83. EBRIETAS; hæc enim species quædam furoris, (de quo §. 51. dictum, quod conjugium impediatur;) cum scilicet tanta est, ut totam mentis operationem, & iudicandi facultatem omnem sepeliat, atque adimat. Cum ergo in hac nullus sit consensus, dicendum est fidem, in ejusmodi vinolentiâ datam, non obligare. *can. Vnusquisque. 8. 22. caus. question. 4.* Idemque dicendum si quis incantationibus, veneficiis, poculoque amatorio ad mentis usque alienationem fuerit incensus. *Harpr. ad pr. l. de Nupt. n. 20. & seqq. A. Gentil. de Nupt. l. 3. c. 7. & seq.*

84. JOCUS; neque enim in matrimonium consensisse intelliguntur, qui per jocum & ludum id promiserunt, ac proinde nec promissis talibus stare coguntur. *A. Gentil. l. 3. c. 8. C. l. A. l. 23. r. 2. §. 28. n. ult.*

85. ERROR; hoc enim interveniente matrimonium vitiat, cum errantis nullus sit consensus, vel voluntas. *l. 8. & 9. C. de jur. & fact. nihilq; tam contrariû sit consensui, quam error. l. 15. ff. de iurisdicta.* Quod tamen non simpliciter procedit, faciunt enim v. d. errorem quadruplicem; Personæ, Conditionis, Fortunæ, & Qualitatis. Error in personâ conjugium & impedit & retractat; puta si Titia pro Sempronîa fides sit data. *can. 1. 29. caus. quest. 1. cap. Tua nos. 26. de Spons. Luther. in l. Bon Chesachsen/ art. 4. §. In die sen Articel.* Idem quoque olim fuit in errore conditionis, ut si quis ancillam, putans liberam, duxisset. *cap. Proposuit. 2. de conjug. servor. maxime cum ancilla nec uxor esse possit. l. 3. C. de incest. Nupt.* Error fortunæ est, quando quis contrahit cum paupere, quâ putat esse divitem. Quo non vitiat conjugium. *d. can. 1. 29. caus. quest. 1.* Nec enim hoc ad substantiam matrimonii pertinet, neque ejus causa finalis. sed magis impulsiva est. *Wes. in par. ff. de Nupt. n. 2.* nisi cum conditione quis contrahat, veluti, si tot aureos dederis in dotem; nam tali conditione appositâ, & non purificatâ, consummare



mare matrimonium non tenetur. *cap. de illis. 3. de condit. appof. Error qualitatis in pulchritudine, nobilitate, bonitate, virtute, ætate, aliisq; confimilibus committitur, nec impedit, quò minùs matrimonium fubfiftat.* *A. Gentil. de Nupt. lib. 3. c. 4. Hunn. in difp. de Iur. Connub. 9. 32.*

86. Hujus loci est non ignobilis illa quæftio; An qui vitiatam ducit, vel cum corruptâ ignorans fponfalia de præfenti contrahit, postmodum re compertâ stare promiffis cogatur, & ad confummandum matrimonium urgeri invitus poffit? *Canon. c. Quod autem. 1. 29. cauf. quæft. 1. cap. Quemadmodum. 25. de Iurejur. pronunciant, ejufmodi errorem matrimonium non vitiare, ne fcilicet occultâ delicta denudentur, & sæpè innocentibus perfônis, à levibus fatiatisq; maritis, periculum ficto ejufmodi crimine creetur. Sed ego malim fequi Dd. confiftorialesq; nonnullos magni nominis, monentes, dandam inprimis elle operam, ut ejufmodi conjugia conciliantur, desperatâ autem reconciliatione, divortium concedendum. *Luth. in Lib. Von Ehefachen. Phil. Melanch. in loc. de conjug. Schneid. d. l. par. 4. n. 61. & seq. maxime fi re certò compertâ (nam in dubio femper pro matrimonio pronuntiandû erit) à cohabitatione ejus vir abftinuerit. Latè D. Nebelkya. decis.**

87. Ut CONSTITUTÆ; (*add. fup. 9. 14. & seq.*) in considerationem hic veniunt tum Nuptiarum EFFECTUS, tum M O D I D I S S O L V E N D I.

88. EFFECTUS; varii hi sunt & multiplices. 1. est Patria potestas, quæ ex justis Nuptiis oritur, *r. t. l. de par. pot. l. 3. §. 4. ff. de his qui sui.* 2. est Affinitas, quæ contrahitur jure civili inter virum & uxorem. *l. 8. ff. de condit. cauf. dat. inter virum & cognatos uxoris & inter uxorem & cognatos viri l. 4. §. 3. & 8. ff. de grad. mortuòq; altero conjugum diffolvitur, arg. §. 6. l. de Nupt. 3. Quod omnis vitæ confortium, l. 1. ff. de R. N. vitæ focietatem. l. 1. ff. Rerum amotar. feu individua vitæ confuetudinem contineant, §. 1. l. de par. pot. Unde maritus cogitur uxori cohabitare, ficut & uxor marito, ita ut à judice Ecclefiaftico ad hoc compelli poffint. *cap. 1. & ibi Felin. n. 8. de fponfal. cap. Literas. 13. ubi P anorm. & commun. Canoniftæ de reftit. fpoliat. Beuf. de matrim. c. 65.**

89. Affe-



89. Afferunt secum 4. Nuptiæ juris divini & humani communicationem. l. 1. ff. de R. N. Hinc uxor ipso jure fit particeps domicilii & fori. l. 65. ff. de jud. l. ult. C. de incol. l. 10. r. 39. dignitatis & familiæ maritalis. l. 8. ff. de senar. l. 13. C. de dign. privilegiorum mariti etiam personalium. l. 6. C. de Profess. & Med. l. 10. r. 52. injuria illi facta videtur facta marito. l. 2. C. de injur. qui legitimus uxoris defensor, §. 3. l. de injur. & bonorum ejus administrator est: gloss. in l. maritus. 21. C. de Procurat. quanquam alter pro altero conveniri propterea nequeat. r. r. C. ne uxor. pro marit. Maritus efficitur rerum dotalium dominus. l. Doce ancillam. 9. C. de R. V. l. 30. ff. de tur. dot. lucraturque fructus dotales. l. 20. C. de jur. dot. Fit & e contra uxor confors omnium bonorum mariti viventis. l. 4. G. de crim. expil. hered. Unde & aliâ marito debet, sive is dotem acceperit, sive non. l. 22. §. 8. ff. solut. matr. quemadmodum nec, ex causâ dotis non acceptâ, à marito ædibus extrudi potest. l. jubemus. §. 1. C. de repud. Ex plerorumque etiam locorum statutis alter conjugum ab alterius morte certam bonorum portionem lucratur. Wesf. d. l. n. 6. Vera tamen communio proprietatis bonorum inter conjuges non est. l. 8. C. de pact. convent. nisi de eâ aperte convenerit. l. 16. §. fin. ff. de aliment. leg.

90. Etsi verò jure civili uxor non transit in potestatem mariti, l. 1. & seqq. ff. de lib. exhib. l. 2. §. 1. ff. solut. matrim. l. 1. §. 1. ff. de agn. & alend. lib. l. 1. §. ult. ff. de injur. Jure tamen divino; Num. 30. vers. 7. & seqq. consuetudinario; Tiraquell. in LL. connub. in pr. & Saxonico, art. 31. & 45. lib. 1. ubi gloss. in ejus est quasi potestate, & curâ. Wesf. d. l. n. 6. Unde & reverentiâ uxor marito, & obsequia præstare, operâsque exhibere jubetur. l. 14. §. 1. ff. solut. matr. l. 48. ff. de oper. libert. & moderata castigatio maritis permittâ est, arg. l. 5. §. ult. ff. ad L. Aquil. sicut & sex expressâ sunt causâ, N. 117. c. 14. junct. cap. 8. ob quas & fustibus & flagellis cædi uxor potest. Add. Tiraquell. in L. 1. connub. n. 22. & seqq.

91. MODI DISSOLVENDI; solvuntur autem Nuptiæ vel MORTE, vel INTER VIVOS. arg. l. 1. ff. de divort. & repud. Vult. lib. 1. tur. Rom. cap. 21. n. 1.

92. MORTE, eâque tum NATURALI, tum CIVILI.

93. NATURALI alterutris morte conjugium dirimi dubium

bium non est. l. 14. §. 3. ff. qui & quib. manum. permittitq; persona  
superstiti novam quarere conditionem. *can. fin. 31. caus. 4. quest. 1.* Qui  
verò nexum conjugii extendunt in infinitum, & obligare putant  
etiam post mortem, vanâ superstitione & pii amoris prætextu, ve-  
ritati & factis literis illudunt. *Rom. 7. §. 2. 3. 1. ad Cor. 7. §. 39. Anysa.*  
*de lur. connub. cap. 5. sect. 2.*

94. CIVILI, Captivitate scilicet, vel ex poenâ contin-  
gente servitute, secundum. l. 56. ff. solut. matrim. l. 12. §. 4. ff. de capt.  
& possim. N. 22. c. 7. Hæc enim servitus mors civilis est. l. 4. ff. qui  
satisd. cogan. Sed hodie cum N. 22. c. 8. servitus poenæ tollatur, per  
servitute quoq; poenæ matrimonia dissolvi non possunt. Quem-  
admodum nec captivitate omnimodò matrimoniū dirimitur; cum  
uxores eorum, qui hostium potiti sunt, temerè non possint nubere.  
l. 45. §. ult. ff. de R. N. Uxori enim (ut & pariter, mutatis terminis,  
marito) secundis Nuptiis interdicitur, sc. ex quamdiu constat capti-  
vum maritum vivere; quod si incertum sit, exacto quinquennio fa-  
cultas nubendi ei redit. l. 6. ff. de divort. N. 22. c. 7. N. 17. c. 12. Si verò  
in militiam maritus sit profectus, & utrū captus, an mortuus, aut  
ubi sit ignoretur, ex constitutione Justin. operiendus est absens,  
quoad de ejus morte, aut captivitate constet. l. 7. & Authent. Hodie.  
C. de repud. N. 17. c. 11. Quod tamen ad erroneos nostri temporis, qui  
desertioni injustæ prætextum militiæ non necessariæ obducunt,  
non pertinere, communiter traditur: in quibus solent pii Magi-  
stratus sequi illud, ut post quinquennium, aut quadriennium, cita-  
to, literis publicè ad templa affixis, desertore, personæ desertæ no-  
va vota permittant. *Wesem. in parat. ff. de divort. n. 5.* Quod ipsum ad  
quamcūq; personam, quæ temerè & malitiosè conjugem deserit,  
omniq; auxilio destituit, extenditur. *Add. Luther. in lib. Don Eyer-  
sachen. Melanch. in loc. de Conjug. t. de desert. Beust. part. 2. de ma-  
trim. c. 26. Schneid. comm. in 1. de Nupt. p. 4 n. 38. & seqq. C. t. A. l.*  
*24. t. 2. §. 9.*

95. Sed an & Deportatione Nuptiæ dissolvantur, non est  
una omnium sententia. Negativa juri nostro consentanea. l. 13. §. 1.  
ff. de donat. int. vir. l. 24. C. eod. l. 1. C. de Repud. N. 22. c. 13. quod, (no-  
tante Cujacio ad d. N.) quoad jus gentium intelligendum, quo ma-  
trimonium etiam inter non Cives Romanos consistit; Nam jure  
civilis

civili dirimuntur deportatione, cum deportatus desinat esse inter Cives Romanos, quorū Nuptiæ sunt propria. l. 56. ff. *solut. matrim.*

96. INTER VIVOS dissolvuntur Nuptiæ Divortii, quæ vel à diversitate mentium dicta sunt, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. l. 2. pr. ff. *de divort.* Interest autem inter hoc & Repudium, quod repudium pertineat ad sponsam, & matrimonium futurum; divortium ad uxorem, & constans: quantum & repudium in uxoris personam non absurdè cadit. l. 101. §. 1. l. 191. ff. *de V. S.* Definitur autem quod Divortium sit separatio, quæ inter conjuges sit eo animo, ut nunquam redintegretur matrimonium. *Conf. Schneid. d. l. p. 4. n. 3. & seqq. qui n. 8. & seqq. de discrepantibus* juribus, observandis in materiâ divortiorum, agit.

97. Fiebat autem Divortium aliud bonâ gratiâ. l. 32. §. 10. l. 62. ff. *de donat. int. vir.* l. 6. ff. *de divort.* l. 14. §. 4. ff. *qui & à quib. N. 22. cap. 4. 7. 14. & 16.* & illud vel communi consensu; sive sine causâ. l. 9. C. *de Repud.* sive ex certâ causâ l. 60. §. 1. & l. seqq. ff. *de donat. int. vir.* vel unius voluntate, ex legitimis ferè causis. l. 10. C. *de repud.* N. 22. c. 14. & seqq. Aliud verò cum irâ & animi offensâ. d. l. 32. §. 10. & cum repudio. N. 22. c. 7 si scilicet mulier diverteret, vel repudio dimitteretur. d. l. 14. §. 2. ff. *qui & à quib.* De causis ex quibus bonâ gratiâ fiebat divortium, *Vid. C. l. A. l. 24. t. 2. §. 5.*

98. Causæ, cum non bonâ gratiâ dissolvebatur matrimonium, olim fuerunt arbitrariæ, & in judicantium disquisitione positæ: hodiè sunt definitæ, numerusq; earum contractus per N. 117. c. 8. 9. & 14. ex quibus quædam communes utrique, quædam alterutri peculiare. Communes tres sunt: Adulterium; Insidiæ structæ vitæ alterius; & crimen læsæ majestatis. Peculiare ex parte mariti ut uxorem repudiet, itidè tres sunt: Si uxor cum extraneis conviveret, aut lavet marito nolente, si extra domum mariti maneat, nisi sit cum parentibus; si denique marito ignorante aut nolente ludis intersit. Ex parte verò uxoris, quibus ipsa maritum repudiare potest, duæ sunt. una si maritus uxoris suæ propriæ castitati insidietur, eamq; alteri tradat adulterandam; altera si maritus uxorem falsò accuset de adulterio.

99. Ad jus divinum quod attinet, à Salvatore nostro sola <sup>prop. 125</sup> h. e. fornicationis causa divortio relicta est. *Matth. 5. v. 32. & 19. v. 9.* Sed num ita dissolvitur matrimoniū, ut vinculum quocq; tollatur

D

tollatur

tollatur, & innocenti parti, nocente adhuc vivâ, aliud matrimo-  
 nium contrahere permittatur? Negant id Canonistæ, per text: in  
*cap. si qua mulier. 1. & c. quasvit. 2. de divort. can. Quos Deus. 18. 33.*  
*caus. quest. 2. Rol. à Vall. conf. 50. n. 6. volum. 1. Schurff. conf. 57. inf.*  
*cent. 1. P. Gregorius. l. 9. syntagm. c. 16. n. 2. & seq.* Sed ego contrariâ  
 magis probo, quam ex Theologis quidem amplexi sunt. *Luther. im*  
*Duch vom Ehestand. Melanch. in exam. sub t. de divort. Pomer. in*  
*tract. Von Ehebruch/ vnd weglauffen. tit. Von Ehebruch/ §. wenn*  
*alle. 8. Beza in tr. de divort. Chytra in enarr. Matth. c. 19. Chemnit. in*  
*exam. concil. Trident. p. 2. f. can. 7. seß. 8. de matrim. Hemming. tract. de*  
*divort. caus. 1. Eandem sententiam docendo & consulendo secuti*  
*sunt celeberrimi Germaniæ Ecclesiarum reformatarum Icti. Beuß.*  
*de matr. c. 24. Schneid. d. l. p. 4. n. 32. & seqq. Wesf. in parat. ff. de divort.*  
*n. 11. C. I. A. l. 24. t. 2. 8. 8. Immo sunt & pleriq; Theologorum eâ in*  
 sententiâ, posse & hoc casu parti nocenti aliud conjugium permit-  
 ti, ne tamen in loco delicti toleretur. *Wigand. de conjug. c. de divort.*  
*Osfand. in Matth. c. 5. & 19. quibus astipulatur, Wesf. d. l. & Beuß. de*  
*marr. c. 25.*

100. Quid autem de infidelitate atque impari in religione  
 cultu statuendum erit? Canonistæ volunt hanc sufficientem ad di-  
 rimendum matrimonium esse causam. *arg. can. Cave. 15. & c. non*  
*oportet. 28. caus. quest. 1. Covarruv. p. 2. de matr. cap. 6. §. ult.* Sed id  
 manifestè repugnat S. Scripturæ. *1. ad Cor. 7. vers. 12. 13. 14.* Et si enim  
 matrimonia inter fideles & infideles, ob varia incommoda inde  
 nascentia, de quibus copiosè *Arnise. de jure connub. cap. 5. n. 1. &*  
*seqq.* nullo modo sint probanda; tamen contracta ex solâ causâ in-  
 fidelitatis rescindenda non esse, firmiter statuo. *C. I. A. l. 24. t. 2. 8.*  
*II Wesf. d. l. n. 8. inf.*

101. Altioris disquisitionis ea habetur quæstio: An sterili-  
 tas & impotentia sufficiens ad solvendum matrimonii vinculum  
 sit causa? Ad quam adhibitâ distinctione responderi comòdè posse  
 existimo: Si enim impotentia incurabilis præcesserit matrimoniu,  
 & personæ innocenti fucus factus, conjugium ab initio irritum  
 nullumq; fuit. *cap. 1. & 2. c. laudabilem. 5. de frig. & malef. at si su-*  
 pervenerit ex quâcunq; causâ, conjugium consummatu non est re-  
 scindendum. *Can. Hi qui. 25. 32. caus. quest. 7. Schneid. d. l. p. 4. n. 20.*  
 Canones præterea, si vitium ex ligaturâ magicâ proveniat, post tertium

tium annum exactum, parti integræ novarum Nuptiarum copiam faciunt: *cap. 1. & c. fraternitatis. cum c. f. de frig. & malef. Quod tamen rectè improbat Arnise. d. l. c. 6. sect. 8. n. 22.*

102. Varia quoque disputantur, an propter morbos contagiosos & incurabiles, ut & ratione furoris supervenientis, matrimonium sit distrahendum? Vitanda quidem sunt furiosorum, leproforum, aliisque contagiis infectorum matrimonia: legitimè tamen contracta, ob hanc solam causam, dissolvenda sunt minimè: cum nulla infirmitas, etiam gravissima, matrimonium consummatum dissolvat: quàm in parte consentiunt canones, *c. Quod proposuisti. 18. can. hi qui. 25. & seq. 32. c. quest. 7. cap. 1. & 2. de conjug. leprosi. & Theologi plurimi; Melanch. in loc. de conjug. Wigand. de divort. §. Propter morbos. Mentz. de matr. t. de divort. Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse? Schneid. d. l. p. 4. n. 50. & seq. Quod ipsum & jure civili obtinet, cum eo furor contractas Nuptias non dirimat, l. 16. §. 1. ff. de R. N. nisi nimis ferox & perniciosus sit, l. 22. §. 7. solut. matr. De quo ipso tamen vid. Beust. de matrim. par. 2. c. 11. & 12.*

103. Non minori controversiâ laborat quæstio; an propter machinationem, quàm alter conjugum alteri continuis insidiis mortem struit, propter nimiam item mariti sævitiam, conjugium sit dirimendum? Sanè in N. 117. c. 14. deciditur, non esse justam divortii causam, si vir uxorem flagellis & fustibus cædat, qui tamen eo casu, durante matrimonio, tantum ex suis bonisolvere uxori cogitur, quantum facit tertia pars antenuptialis largitatis. Si tamen mariti nimia sit sævitia, tenetur præstare cautionem de non offendendo, ampliùsve crudeliter tractando uxorem; *arg. l. 6. f. C. de his qui ad Eccles. aut si mulieri trepidanti non sufficiat cautio; conjuges separandi sunt quoad thorum & mensam, ut loquuntur, 311 Fischvnd zu Beth/ ita tamen. ut neutri liceat cum alio contrahere matrimonium, altero vivente. cap. 1. & 2. de divort. cap. Literas. 13. & c. ex transmissa. 8. de restitut. spoliar. Schurff. cent. 1. conf. 42. Schneid. d. l. par. 4. n. 15. & seqq. Beust. de matr. par. 2. c. 9. & 10.*

104. Ad formam divortiorum quod attinet, sciendum Divortium verum non fuisse, nisi animo perpetuam constituendi dissolutionem. l. 3. ff. de divort. Fiebant autem certis solennibusque verbis, ubi hæc formula probata: Tuas res tibi habeto; Tuas res tibi

D 2

agito.

agito. l. 2. §. 1. ff. eod. adhibitis insuper septem testibus, isq; Civibus Romanis, puberibus, præter libertum ejus, qui divortium faciebat. l. 9. ff. eod. licet repudii libellus neq; traditus, neq; cognitus esset. l. 6. C. de repud. Renunciabatur autè vel præsentì, vel absenti, per eum, qui in ejus potestate erat, cujusve is eæve in potestate erat. l. 2. §. ult. ff. de divort. Hodie non debet fieri separatio propriâ auctoritate, sed coram competente judice, cum sufficienti causarum probatione, *Can. Seculares. 1. & can. Historia. 3. 33. caus. quest. 2.* Et si iuxor fuerit expulsa, ante cognitionem causæ debet restitui. *cap. Porro. 3. de divort.* Nisi sit notorium, mulierem adulterium commisisse, eo enim casu ad illam recipiendam vir cogi non debet. *cap. Significasti. 4. de divort. Schneid. d. l. part. 4. n. 5. Cujac. 8. obs. 16.*

105. Ordo jam postulare, ut & de pœnis injusti divortii jure Civili constitutis pauca verba facerem; de quibus. l. 2. §. 4. & 5. l. 11. §. 1. C. de Repud. N. 22. cap. 18. N. 53. cap. 6. N. 74. cap. 5. N. 117. cap. 13. N. 127. cap. 4. N. 134. cap. 10. & 11. alijsq; in locis agitur: Sed quia sub ipsis manibus materia, opinione quam initio concepimus longior difficiliorq; crevit; ad portum, divinâ favente gratiâ, cymbam dirigo. *Vid. Wej. in para. ff. de divort. n. 10. & C. l. A. l. 24. t. 2. §. 17. & seq.*

#### COROLLARIORUM LOCUM HÆ POSITIONES SUPPLEMENT.


1. Res divina, adeoq; & ipsa religio, ad iurisperitiam pertinent, quatenus scilicet sub modum præceptionis politica cadunt.
2. Negotiorum gestor de culpa levissimâ regulariter non tenetur.
3. Si filius familias mutuum, contra SCtum Macedonianum contractum, solvit; Pater nummos extantes vindicare, consumptos Verò condicere potest.
4. Exceptio non numerata pecunia, simplex nec privilegiata, opponi potest etiam ultra biennium.
5. Actio realis intentata, & esse etiam consecuta, non semper consumit actionem penalem mixtam.
6. Notorius aliquis scortator, supinator, adulter, vel similis farina bonum, ad gradum Doctoratus aut Licentiæ nequaquam admittendus.
7. Ordo III. Imperator, jussu Gregorii V. Pontificis Maximi, collegium Electorum septemvirale, ut hodie in usu, non instituit.

F I N I S.


Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

1623







*Quod bene sit!*

DISPUTATIO JURIDICA

DE

NUPTIIS,

QUAM

FRETUS PRÆSIDIO

*offici Argentinensis Academia Rectoris,  
Viri Clariss. Ampliss. & Consultiss.*

DAVIDIS LOCAMERI, J.U.D.  
TARUM PROFESSORIS ORDINARIJ,  
ceptoris & Patroni sui omni observan-  
tiâ colendi,

*Ad diem 29. Martii.*

*Publica censura exponit,*

GREGORIUS BICCIUS  
BUDISSINUS.



ARGENTORATI,

DEBAT PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXVL

12 529

40

1626, 14